

niam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicæ comedionis norma. Ita universale istud præcepit pro tua expectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto &c. Idem declarasse videtur etiam in const. Si Fratern. §. 1. quæ est 99. tom. i. cum innuit, ipsi per editas constitutiones animum non fuisse definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex ab ipso proposita jejunandi regula; ut clarius exprimit apostilla ad talem paragraphum per hæc verba: *Pontifex, non disceptantium questionibus, sed disciplinæ relaxationi obviam ire intendit.* Ergo quantum attinet ad præfatam opinionem, hæc hactenus damnata non est, sicque ratio adjudicanda neganti.

MENSE APRILIS.

CAS.I. **S**abbato Sancto, cum facienda est fontis Baptismalis benedictio, & revocatio, caret Parochus ruralis novis Oleis benedictis, quæ præ nimia distantia à civitate, aut alia de causa, obtinere non potuit. Q. Primo, quid faciet quoad benedictionem fontis? Secundo, quid quoad ministrandum Parvulis Baptisma, si occasio offeratur, antequam nova Olea habeantur?

Resp. quantum ad primum, faciendam esse à Parocho aquæ benedictionem, omessa pro eo tunc immissione oleorum sacerorum, usquequo nova olea advenerint; ut recte tradit Bauldry, Man. Sac. Cær. par. 4. cap. 11. art. 4. num. 9. & Pignattarius cap. 14. Manualis Sacr. Rit. pro Majori Hebd. anno proxime elapso pro secunda vice Bononiæ editi typis Longhi. Ratio est, quia ex una parte Fontis Baptismalis benedictio tali die omittenda non est, nendum quia præscribitur à Rubrica, verum etiam quia Baptismus per Apostolum ad Rom. 6. significat Mortem, Sepulturam, & Resurrectionem Christi, quæ potissimum hac die celebrantur, ut ex Ruperto notat Gaudentius ad Rub. Miss. de Sab. San. Ex alia illicitum est, ob meram Fontis benedictionem eo tunc oleis veteribus uti; prout colligitur ex Concilio Lugdunensi, relato in Can. Si quis de alio dist. 4. de Consecr., ac ex cap. Litteris de Consecr. dist. 3., præcipitur namque olea vetera comburi, & nova adhiberi. Ergo Fontis benedictio debet fieri à Parocho modo possibili; nimirum, per benedictionem aquæ, huic postea immiscendo nova olea, cum advenerint: ad quem finem ea quamprimum habere curabit. Atque hoc esse conforme Decretis Sacræ Rituuum Congregationis, patet ex ab ea edito in Lucana die 12. Aprilis 1755. sub hisce terminis: *Qui ante fontis benedictionem olea sacra recidere non potuerunt, illa subinde privatim, ac separatis in aquam mittere poterunt:* Quantum ad secundum respondeo cum distinctione: Vel hi parvuli baptizandi sunt in mortis periculo; vel extra tale pericum. Si in mortis periculo, dico, oleum vetus, posse immo in eo casu debere cum eis adhiberi, isto eosdem ungendo. Ratio est, quia Canones præcipientes, non adhiberi olea vetera, excipiunt casum necessitatis, seu periculi mortis, ut constat expresse ex allato Can. Si quis de alio, hæc habente: *Si quis de alio chrismate, quam de illo novo, quod proprii Episcopi largitione, vel concessione accepit baptizare, nisi præoccupante morte, tentaverit, protemeritatis ausu ipse suæ damnationis protulisse sententiam, manifestatur.*

Si

Si vero sunt extra mortis periculum, tunc inquit Gobat. de Baptis. cas. 16. num. 511. posse totum Baptismum differri, vel si in Diœcesi vigeat usus antiqui utendi, hujusmodi usum servari; quia consuetudo rationabilis potest derogare ecclesiastice legi contrariae, etsi pervetustæ. Ubi tamen talis consuetudo non viget, & si instantia, quod baptizetur infans, censeo cum præfato Pignattario ibid., pro eo tunc omitendas esse unctiones, ac baptizandum infantem reliquis præmissis; nam etiam Rituale Romanum, cui in tali casu standum est, verat in hujusmodi circumstantia usum olei anni elapsi. Hinc modo mox dicto baptizabitur infans supplendo postea unctiones quamprimum advenerint nova olea.

CAS. II. Mandatarius post mortem Mandantis dedit damnum sibi commissum. Q. an teneantur hæredes Mandantis restituere?

Resp. cum dist. Vel Mandans retulit mandatum etiam post mortem suam, vel non. Si retulit; dico, hæredes Mandantis in casu teneri restituere. Ratio in primis est, quia ipsi repræsentant personam Defuncti, tam quoad jus agendi, quam quoad obligationes reales; cum hæc ad ipsos devenerint una simul cum hæreditate. Deinde supposita dicta relatione, mandatum finem non habuit per mortem mandantis; ut patet ex l. si vero §. fin. ff. mandatos. & alibi in jure; prout notat Giribaldus de Contractib. cap. 13. dub. 1. num. 9. Hinc sicuti si Mandans vitam diutius protraxisset, nimirum, post executionem mandati à se dati, ipse tenerur ad restitutionem; hoc est, ad refectionem, & quidem adæquatam damni, ex suo mandato subsecuti; ita in casu ad eamdem tenentur ipsius hæredes. Quod si Mandans non retulit mandatum post mortem, tunc subdistinguo: Vel antequam Mandatarius dederit damnum, ipsi innotuit mors Mandantis: Vel non. Si primum; dico, hæredes non teneri restituere, quia tunc, ante damnum illatum, mandatum re integra vere finitum erat per mortem Mandantis; ut expresse habetur in l. mandatum, Cod. Mandati; ideoque si Mandatarius post notam mortem Mandantis damnum dedit, hoc intulit non ex mandato, sed ex se; non quatenus sibi commissum, sed quia à se volitum, ac proinde ipse tenetur ad illius refectionem. Si secundum; dico, quod illud intulerit ratione accepti mandati, & ob ignorantiam mortis Mandantis teneantur hæredes ipsum relevare ab onere refectionis, prout innuere videtur Glossa in præfata l. mandatum, nam tunc adhuc tenore mandati Mandatarius egit.

CAS. III. Titius jam à tribus annis nonnullas arbores ex aliena in propriam villam transposuit, ubi radices fixerunt. Q. an easdem arbores extantes teneantur restituere?

Resp. neg. sed tantum reficere damnum, juxta Peritorum æstimationem. Ratio est, quia per emissionem radicum in suo fundo, translatum in ipsum est earumdem dominium, per textum clarum in §. Si Titius Inst. de rer. divis., ubi dicitur, quod si Titius alienam plantam in fundo suo posuerit, ipsius est, & si è contrario suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit, dummodo in utroque casu ibidem radices egerit. Quod etiam in foro conscientiae locum habere tradit, ac probat Aragonius de Dominio col. 40., vers. tertia conclusio fol. 102., potest namque lex humana, etiam Dominis invitatis, juste facere translationem dominii. Neque inferas:

Ergo in foro conscientiae licebit alienas plantas surripere, & in fundo proprio transplantare, cum intentione restituendi aestimationem. Nego siquidem illatum; non enim est semper bona illatio ex factis ad facienda, cum multa post factum teneantur fieri prohibentur. Concedo igitur, & ego, surripiem, invito Domino, alienas plantas peccare contra iustitiam, & charitatem; dico tamen, quod post factum illicitum, si alienae plantae in proprio fundo transplantatae ibi radices egerint, tunc earum dominium translatum est in Dominum fundi, ideoque quod hic non tenetur amplius restituere plantas, sed tantum reficere damnum priori Domino, juxta Peritorum aestimationem: sicuti qui alienum frumentum seminavit in agro suo, praeceps tenetur reficere Domino damnum, ex furto ejusdem illi causatum. Quod si plantae nondum radices egerint, tunc & ipsam etiam plantae restitui, & totum damnum, quod ante Domino resultavit, refici debet.

M E N S E M A I I .

CAS.I. **F**Uratus est Sergius uvam, ex qua fecit vinum; lanam, ex qua fecit pannum &c. Q. an teneatur restituere ipsum vinum, pannum &c.

Resp. cum Palao, Layman, Lacroix, & aliis, probabilius esse quod sic; saltem si Dominus uvae, lanæ &c. agat contra Sergium ad hunc finem. Ratio est, quia quando Sergius fecit ex uva vinum, ex lana pannum &c. optime sciebat, sive uvam, sive lanam, non esse suam, sed alterius: quem verisimiliter credere poterat esse etiam invitum, quod ipse inde faceret vinum, & pannum, ac optaret rei sibi ablatae restitucionem. Jam vero quando quis mutat in aliud rem alienam, sciens esse alienam, per hujusmodi specificationem non transfertur rei dominium in specificantem, sed remanet penes priorem Dominum; cui proinde, non obstante specificatione, reddenda est. Textus est clarus in l. 22. §. 3. ff. ad exhibendum, ubi dicitur, Mustum, & Oleum esse meum, quod fit ex uvis, aut olivis meis ab illo, qui sciat illa esse mea; quia (nota bene) si faciet sciens rem esse meam, censemur mihi donare operam suam. En, quod res dicitur manere prioris Domini; & quod specificator censemur illi donare operam suam. Ergo priori Domino, saltem ad hunc finem agenti, sive vinum, sive pannus a Sergio in casu restitui debent. Neque opponas legem *Adeo quidem, ff. de Acquir. rer. Domin.* ubi verius dicitur nostrum assertum, quando species reverti, hoc est, denuo reddire potest ad priorem statum; secus vero quando è contra, ut in casu nostro, in quo propterea specificans, juxta eamdem legem, evadit Dominus; adeoque sufficit, quod priori Domino restituat valorem, secundum aestimationem. Ne opponas, inquam; id enim valet quando specificatio facta est bona fide, ut recte ibidem advertit *Glossa v. suo nomine*, cui & ego subscriberem in casu praesenti, si Sergius uvam in vinum, & lanam in pannum bona fide convertisset. Ast hic, res è contrario se habuit; Sergius namque & uvam, & lanam abstulit mala fide; & primam in vinum, ac secundam in pannum mala pariter fide convertit, cum probe noverit,

rit, se convertere in aliud rem furatam, & Dominum talis rei verisimilius malle restitutionem suæ rei, quam quod ab ipso pro se converteretur in aliud. Ergo non ista lex *Adeo*, sed illa prior in casu locum habet, juxta quam propterea vinum, & pannus Domino uvae, & lance ablatæ, eo saltem agentie ad hunc finem, dari debent.

CAS.II. Plures eodem loco, & tempore Sempronio grave damnum scienter intulerunt per minuta furta, ab unoquoque eorum ita divisim commissa, ut nullus alium juverit, nec in causa fuerit, ut alias concurreret. Q. an mortaliter quilibet eorum peccaverit, & sub mortali restituere teneatur?

Resp. neg. quoad utramque partem. Ratio est, quia in rigore quilibet iurulit damnum leve, nullam habens conjunctionem cum damnis illatis ab aliis; solumque ii. omnes habuere similitudinem loci, ac temporis, nullo modo in casu influentem sive in alios, sive in damnum ab istis illatum; & sic quilibet venialiter tantum peccavit; ideoque sub veniali ad meram refectionem damni, à se respective illati, tenetur. Nec refert scientia de damnis eodem loco, & tempore illatis ab aliis; cum enim hæc de se nec conspirationem inducat inter fures, nec furtum unius faciat esse partem furti alterius, sed quilibet disparate suam fecerit levem actionem furtivam, & hanc præcise intenderit, hinc sit, quod quilibet peccavit, ac habet onus restitutionis, secundum quod ipse abstulit: quod proinde cum sit quid leve, leve etiam peccatum, & onus restitutionis consimile induxit. Nec quis reponat, data hac sententia securum hoc absurdum, quod nempe si aliquis modo prædicto bonis omnibus à pluribus despoliaretur, nemo teneretur sub mortali illum reintegrale. Nego enim cum P. Cunigliati de Restit. in partic. cap. 5. §. 1. num. 6. id fore absurdum in tali casu, ac dico, rem ita se revera habituram per accidens. Absurdum sequi videtur potius in opposita sententia, nimirum, quod qui absque ulla conspiratione cum alio intendit leve tantummodo auferre, ac revera leve tantum abstulit, reus sit peccati mortalis, & sub mortali teneatur restituere; sicut qui cum pluribus conspiravit ad auferendam, & cum iisdem abstulit notabilem quantitatem. Vide laudatum Cunigliati loc. cit.

CAS.III. Data est res duabus in emphyteusim, quotum unus non multo post mortuus est. Q. an ista emphyteusis accrescat superstiti?

Resp. neg. cum Rosignolo de Emphyt. prænot. 10. num. 3. ni specialiter fuerit aliter convenit. Rationem quamplures desumunt ex l. Si mihi & Titio, ff. de Verb. Oblig. que dicit: Si mihi, & Titio, cuius in potestate non sim, stipuler decem, non tota decem, sed sola quinque mihi debentur. Ubi Glosa, Bartolus, aliique notant, jus accresendi locum non habere in Contractibus, cuiusmodi est propositus in casu; bene vero in ultimis Voluntatibus. Quoniam vero isthac assertio suis non caret exceptionibus, immo & oppositionibus, ut videre est apud Baldum ibid. aliosque; ideo responsionem probo hac alia ratione: Ut emphyteusis accrescat superstiti, necessario requiritur quod hujusmodi accretio subsequatur, vel ex natura talis contractus, vel ex pacto, aut de consensu trius-

utiusque partis contrahentium : concedens namque aliqua in emphyteusim , de jure ad id trahi nequit invitus. Atqui dicta accretio non subsequitur ex natura contractus , prout omnes fatentur ; neque ex pacto, ulti supponitur, neque ex mutuo ipsorum contrahentium consensu ; cum hic (quando aliud non exprimitur) ex parte concedentis in emphyteusim potius sit quod mortuo uno ex emphyteutis , portio defuncti à se revertatur ad habentem jus proprietatis , & non accrescat alteri emphyteutæ : Et ipsi accipientes in emphyteusim directe non intendant acquirere , & lucrari alteri socio , bene vero sibi , ac posteris suis : Ergo &c. Hinc, si emphyteusis concessa fuerit pro Patre & Filiis , mortuo Patre , res emphyteutica tota quidem regulariter transit ad Filios , eo quia intelligitur conventiona , & facta pro illius stirpe ac genere , ob naturalem inter ipsos conjunctionem , immo etiam mortuo uno ex duobus Filii , tota transit ad superstitem , eo quia stirps , ac genus salvatur in uno. At concessa duobus , vel pluribus ex iranee ac disparate se habentibus , res ita se non habet , si aliter non fuerit expressum , & conventum , ob rationem allatam ; ac properea uno mortuo , emphyteusis superstitione non accrescit.

M E N S E J U N I I .

CAS.I. **T**itius mutuo accepit centum scuta in moneta aurea ; nunc vero , cum solutionis tempus advenerit , vult restituere in moneta ærea. Q. an licite hoc faciat ?
Resp. cum dist. Vel fuit conventum de qualitate monetarum , in qua solutionis tempore deberet fieri restitutio : Vel non fuit conventum. Si non ; dico , Titium saltem in nostra Italia , & quando id incommodum non sit mutuant , utique posse id licite facere. Ratio est , quia leges , statuentes quod restituatur pecunia ejusdem generis , seu speciei , utri est lex cum quod . ff. si cert. petat lex 80. ff. de solut. , per consuetudinem in contrarium in nostra Italia fuerunt abrogatae , ut facilius inter homines habeatur commercium , innumeræque evitentur lites , ut passim monent DD. ususque invaluit , ut per quamcumque speciem monetæ currentis & platealis muruum restitui possit , dummodo tot restituantur , quot requiruntur ad adæquandam summam acceptam ; & monetæ , quæ mutuatori restituuntur , eidem damno , aut incommodo non sint ; sic enim servatur æqualitas inter datum & acceptum , ac locum habet justitia commutativa. Hinc si Titius æreas monetas restituendo , ita se gerat ; ac monetæ æreae damno , aut incommodo , in casu , mutuatori non sint , dico , Titium id licite facere ; secus vero si hujusmodi restitutio damnum , aut incommodum afferat mutuanti ; cum enim mutuum principaliter fiat in bonum , ac commodum Mutuatarii , esset bonis moribus ac æquitati dissonum , quod hic beneficium acceptum mutuatori rependeret restitutio monetæ , in cuius implicatione damnum , vel incommodum haberet. Ad quod respexit Bonacina , cum scripsit. In Italia usu receptum est , ut solutio fieri possit in qualibet pecuniae specie , præcise tamen ærea , præsertim in magna quantitate , cum hæc nonnullam afferat accipienti incom-

mo-

moditatem. Quod si Titium inter ac mutuantem fuit conventum de qualitate monetarum , in qua , tempore solutionis , deberet fieri restitutio ; tunc dico , Titium hanc illicite facturum in moneta ærea , si conventio fuit de eo facienda in alia specie monetarum , pura , aurearum , vel argentearum ; pacto namque & conventioni standum est , quando hæc iusta fuit ac legitime facta ; proindeque si Titius , inita conventione de restitutione facienda in monetis aureis , vel argenteis , eam facere velit in moneta ærea , in hoc casu illicite hoc fecit. Neque dicas , conventionem fieri potuisse etiam de facienda restitutione in monetis ejusdem speciei , puta , in zecchinis venetis , & quod hi interim creverint in valore : profecto in hoc casu non teneretur mutuarius restituere mutuanti tot zecchinos , quot ab eo accepisset ; sed sufficeret quod daret tot , quot adæquant summam tot scutorum 100. acceptam. Ergo etiamsi convenerint de restitutione facienda in moneta aurea , vel argentea , sufficit quod ei restituat centum scuta in moneta ærea. Contra enim , transmissa antecedente , quod à pluribus negatur , nego consequentiam : & dico , rationem esse , quia tunc attenderetur valor , quem haberet pecunia tempore restitutionis , & conventio fuisset quoad qualitatem , non vero quoad quantitatem monetatum , quibus restitutio fieri debuisset. Et sicuti quavis mutuarius non debuisset totidem zecchinos venetos eo in casu restituere , tamen debuisset restitutionem facere in hujusmodi zecchinis ob conventionem determinatam speciem monetæ ; ita quia in casu nostro supponitur facta conventione de facienda restitutione in monetis aureis , vel argenteis , in his , & non in æreis , tenetur Titius restituere.

CAS.II. Furtive sustulerat Cajus Sempronio gemmam , quam facti poenitens volebat illico ei restituere : Ast hic dixit ei , ut penes se illam adhuc teneret per aliquot dies , intra quos tamen fuit ei alio furto sublata. Q. an Cajus teneatur restituere aliquid Sempronio ?

Resp. cum dist. Vel ab alio fuit furto sublata ob mortalem incuriam Caji in ea custodienda : Vel non. Si non , dico , Cajum non teneri aliquid Sempronio restituere. Ratio est , quia in hoc casu ipsi non inest talis obligatio ratione furtivæ , à se factæ ; neque ratione furtivæ actionis , factæ ab alio. Etenim ei non inest ratione suæ actionis , eo quia cum illico facti poenitens voluerit gemmam Sempronio restituere , moraliiter non distraxit dominium à possessione ejusdem gemmæ ; & sic , quavis apud Deum culpabilis sit de actione furtiva , quia revera manum rapacem extendit ad rem alienam ; tamen quia eamdem statim suo Domino restituere voluit , nec fuit in mora culpabili quoad illius restitutionem , ideo apud homines non habetur pro fure ; & tam apud istos , quam apud Deum , ratione præfatae immediatae restitutionis , seu obligationis rei factæ Domino , illico in eo cessavit furis obligatio , ac de fure evasit depositarius. Neque illi inest ratione furtivæ actionis , factæ ab alio , eo quia restitutionis obligatio oritur ex gravi læsione justitiæ commutativæ , quæ gravis læsio in eo non fuit , semel ac in custodia gemmæ , penes ipsum quodammodo depositæ , non habuit moralem incuriam ; in hoc etenim casu alter censemur causa furti , non ipse ; sicque non

non ipse , sed alter tenet ad restituendum Sempronio . Oppositorum tamen sentio , si in gemma custodienda fuit in Cajo mortalis incuria , & ob hanc alter gemmam surripuit ; nam statim ac Dominus gemmæ eidem dixit , quod per aliquot dies penes se illam adhuc teneret , reliquit quodammodo ipsi onus restitutionis , non quidem ut furi , nam furis figura , & obligatio cessaverat per oblatam restitutionem rei ablatae ; sed tamquam custodi , ac depositario , qui propterea tenebatur debitam adhibere deligeniam in gemmæ custodia , vel custodiis , ac depositarii officium recusare . Cum ergo istud voluntarie assumpserit : & per hujusmodi assumptionem tacite semetipsum simul obligaverit ad eas leges , quibus adstringuntur alii custodes , & depositarii : hinc fit , quod sicut alii mortaliter delinquentes in omissione debitæ diligentiae circa custodiam rei , ipsis in custodiam traditæ , obligantur ad restitutionem , seu damni refectionem , si talis res furio auferatur : ita ob mortalem incuriam consimilem , in casu habitam à Cajo in custodienda gemma Sempronii , propterea ab alio furto sublata , tenetur Catus , fure non restituente , Sempronio restituere , seu reficere damnum .

CAS.II. Quis emit equum ex pecunia aliena . Q. an equus obligatus existat empori , an vero Domino pecuniae ; & si pereat , cuius damno pereat .

Respondeo , cum dist . Vel hic fecit hujusmodi emptionem nomine ipsius Domini pecuniae : Vel nomine proprio . Si primum ; subdistinguo : Vel hoc fecit ipso Domino sciente , & consentiente ; & in tali casu dico , equum obligatum existere Domino , & si pereat , ejusdem damno perire , quia in hoc casu res ita se habet , perinde ac si idemmet Dominus equum emerit , idve hic egerit per emptorem , tamquam per ministrum suum , de ipsius intentione , ac nomine agentem . Hinc sicuti aliæ res ex gr. emptæ per famulum de consensu Domini , huic obligatæ existunt , & si pereant , huic perirent ; ita &c . Vel id fecit Domino inscio , aut invito ; & tunc dico cum Petro Navarro de Restit . cap. 6. dub. 1. num. 18. equum non Domino pecuniae , sed ipsi empori obligatum existere , quoisque ipsem et herus non consenserit ; ac propterea equo interim pereunte , empori perire , ut patet exemplo possidentis mala fide alienam pecuniam , quam si hic periculo exponat , & pereat , ipsi perit , & Domino tantumdem tenetur restituere , ut cum S. Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 3. tradunt Giribaldus , aliquie comm . Hinc in l. Si alieni nummi ff. de solut. nummorum Domino dicuntur competere actionem furti contra eum , qui ipsos dedit , seu alienavit . Si postea empor fecit hujusmodi emptionem nomine proprio ; tunc dico , ipsi equum regulariter obligatum existere , cum onere reficiendi tantumdem Domino pecuniae ; & si equus pereat , ejusdem emporis damno perire , ut aperte colligitur tum ex l. Si quis alteri , vel sibi , Cod. de rei vendit . ubi habetur : Qui aliena pecunia comparat , non ei , cuius nummi fuerunt , sed sibi tam actionem empti , quam dominum , si ei tradita fuerit possessio , queritur ; tum ex l. si ex ea ibid . ubi consimilia leguntur : idque vel ex eo , quia emplio est actio personalis , acquirens jus personale ementi , ut ait Pasqual . QQ. Moral . Canon . Centur . 3. quæst . 264. vel quia est lucrum industriae , non pecuniae , ut ait Giribaldus de Mut. & Usur . dub . 13. num . 141. Ad-

non

di-

didi nibilominus ly regulariter in responsione , quia casu quo pecunia fuerit Ecclesiæ , pupilli , minoris , vel militis , DD. communiter monent , rem emptam istus acquiri , ut videre est apud Salmanticenses de Empt . & Vend . punct . 3. num . 29. in fine .

MENSE JULII.

CAS.I. Titius ut se ab inimico defendat , ipsum occidit , cum satis illi verat ipsum mutilare . Q. an ad refectionem damnorum teneatur ? & quid dicendum , si poterat & occisionem , & mutilationem fugiendo declinare ?

Respondeo quoad primum , Titium teneri ad refectionem damnorum , ad ratam excessus . Ratio est , quia secundum jura licet quidem vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ ; non tamen ut majori violentia quam oporteat . Propterea cum hæc quantum ad excessum illicita sit , ac injusta ; ideo ad ratam excessus tenetur Titius ad refectionem damnorum . Neque dicas , quod cum sit nimis difficile in hujusmodi casibus se continere intra limites prædicti moderaminis , idque scire posset invasor , debebat à Titii invasione desistere ; alias cessisse creditur juri suo in casu excessus ; ideoque quod Titius ad nihil tenetur . Contra enim , est nimis difficile se continere intra limites &c. quando se defendens mere non intendit conservationem propriæ vitæ , prout intendere debet , concedo , secus , negligita enim defensio , juxta S. Thomam 2. 2. quæst . 64. art . 7. importat actu proportionatum fini ; & ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam , utatur majori violentia , quam oporteat , erit illicitum , proindeque ad ratam excessus tenetur ad refectionem damnorum . Quantum postea ad secundum , respondeo cum distinctione : Vel fuga vere era Titio graviter infamatoria , & damnosa ; & tunc dico , quod cum ipse non teneretur fugere , solum obligatur ad refectionem quantum ad excessum , prout supra dictum est . Vel illi non erat graviter infamatoria , damnosa ; & in hoc casu , cum teneretur occisionem , & mutilationem fugiendo declinare , dico ipsum teneri ad refectionem omnium damnorum , eo quia non fugiendo , non fecit , quod facere tenebatur , ut damnum evitaret , sed ipsum voluit , & sic ipsum reficere tenetur .

CAS.II. Postquam Sejus sponsalia contraxerat cum Berta , duxit in uxorem Cajam , viduam relictam ex fratre ipsius Bertiæ . Q. an tale Matrimonium sit validum ?

Respondeo affirmative : non enim ipsum irritant priora sponsalia cum Berta , eo quia ex hujusmodi sponsalibus ortum quidem est impedimentum publicæ honestatis inter Sejum ac Bertiæ consanguineas in primo gradu ; non autem cum ejusdem affinibus , ut constat ex Tridentino . Jam vero ex quo Caja sit vidua ex fratre Bertiæ , solum inferitur , quod illa sit Bertiæ affinis , non autem quod sit eidem consanguinea in primo gradu ; & per consequens Matrimonium inter Sejum & Cajam non desinit esse validum ratione hujusmodi sponsalium . Multo minus postea desinit esse tale ex quo Caja sit Bertiæ affinis ; per hoc namque quod sit affinis Bertiæ , non sit etiam affinis Sejo .

Vv

Hinc

Hinc Sejum inter & Cajam Matrimonium in casu usque validum est. in ibid
CAS. III. Serg. Censuarius, ut pensionem annuam, quam Cajo solvit, imminuat, fingit cum Cajo se velle censem redimere: hic tamen, fictionem bene noscens, acceptat pecuniae restitutionem, immo cum Sergius ad hanc numquam deveniat, obligat ipsum intra annum ad redimendum, prout sibi conceditur à jure post habitam disdictam. Q. an licite egerit, sive Sergius, sive Cajus.

Respondeo, Sergium in casu illicite egisse, licite vero Cajum. Ratio primi est, quia, mediante illa fictione, per dolum, & fraudem tentavit inducere Cajum ad consentiendum diminutionem pensionis, cum ad talēm diminutionem nullum jus habebat, immo totam & integrā pensionem ex justitia solvere tenebatur; ut cum Lugo, & Tamburino recte tradit Giribaldus de Censib. dub. 3. §. 5. num. 65. ac alias decisum fuit in hisce Resolutionibus, anno scilicet 1741. ad 3. Maii; ut constat ex collectione harum Resolutionum, jam plures edita typis Longhi. Neque opposas, fингentem se velle accusare victorem de lucro sibi factō in ludo prohibito, posse cum eodem licite pacisci de parte lucri sibi restituenda, ut ab accusatione desirat; prout apud P. Zaccariam de Spons. & Lud. num. 1086. §. 19. docent Lessius, Tamburinus, Sporer, aliquie cum Diana; sicque etiam Sergium licite potuisse &c. Contra enim, nego antecedens; nam quamvis, ubi adhuc viget lex: *Alearum usus. De Aleatoribus:* possit victus in judicio repetere quod in ludo vetito amissit, ac illud recuperare intra tempus sibi à lege concessum, & sic casu, quo vere instare vēlit apud Judicem, licite possit etiam cum victore pacisci de parte lucri sibi restituenda, ut &c. tamen tum non censeo hujusmodi pactum, si victus vere non habeat animum instandi apud Judicem, sed mere hujusmodi animum fingat cum victore; si quidem etiam tunc uteretur dolo & fraude, non autem juris subsidio, cum ius patrocinetur, & adstat quidem accusare volentibus, non autem hujusmodi voluntatem fингentibus. Ex quo patet, paritatem retorqueri facile posse in favorem. Cæterum qui antecedens admittunt, dicunt disparitatem esse, quia fingens habet jus ad instantium; quod jus, cum sit pretio aestimabile, ideo cessio talis juris licite potest per pactum restitutionis partis lucri compensari. Ubi è contrario Sergius nullum jus habebat attrahendi Cajum cum illa fictione ad diminutionem pensionis, ideoque illicite tentavit Cajum ad eamdem diminutionem. Ratio postea secundi est, quia S. Pius V. in sua Bulla *Cum onus*, super hanc materiam edita, expresse, ac absolute statuit, ut intra annum, post denuntiam, etiam ab invito preiūm repeti possit: quæ verba per omnes DD. apposita fuere in favorem Censualitæ, sicque in casu nostro in favorem Caji, qui proinde licite obligat Sergium ad restitutionem. Neque dicas, Pontificem loqui in casu, quo Censuarius dixerit ex animo se velle Censem redimere, non autem quando hoc dixit, ac fecit denuntiam animo ficto. Contra enim, in primis responderi posse cum Card. de Lugo de Censib. disp. 27. sect. 7. num. 120. quod potius S. Pius ad hunc finem, apposuit prædicta verba; ne Censuarius fīcte denuntiet redemptionem ad extorquendam pensionis diminutionem. Deinde eadem apposuit universaliter pro quocumque factæ denuntiationis casu,

nam

nam secus quis non videt, quod ille, qui etiam animo vero redimendi denuntiam fecit, posset à redemptione semetipsum retrahere, dicendo se denuntiam fecisse animo ficto? Sive ergo animo vero, sive ficto Sergius denuntiam fecerit, licite obligari potest à Cajo ad pretii restitutionem.

M E N S E A U G U S T I .

CAS. I. **T**Itius una die Cajam virginem præcisē defloravit, altera vero die cum eadem copulam complevit. Q. an simplex Confessarius possit eum absolvere.

Respondeo affirm. Ratio est, quia licet ratio formalis, ac differentialis stuprī vere consistat in fractione virginalis claustrī, facta per virile membrum, ut in can. lex illa 36. quest. 1. §. Cum ergo notat Gratianus; tamen ad integrā rationem stupri, in suo esse completi (quod solum hic, & etiam alibi intelligitur reservatum, nisi aliud exprimatur) requiritur copula perfecta, & consummata uno ac eodem deflorationis actu: omnis namque naturalis concubitus ex ipsomet naturæ ordine tendit ad consummationem, per quam proinde etiam stuprum, utpote concubitus naturalis, perficitur in suo esse, ac compleetur. Atqui in neutro casu hoc totum intervenit; nam Titius in primo casu defloravit quidem Cajam virginem, sed cum ea copulam non complevit per intraneam seminationem, & in secundo copulam quidem complevit, sed Cajam non defloravit, cum hæc eo tunc jam ab ipso deflorta fuisse altera die per actum, non solum physice, verum etiam moraliter distinctum, ac diversum: ergo dici debet, quod Titius non inciderit in casum reservatum, & per consequens, quod simplex Confessarius possit eum absolvere. Neque dicas, deflationem sic facile posse reservationem eludere, virginem prius deflorando, & dein concubendo cum deflorata quantum vult, copulam completere in fraudem reservationis; quod non est admittendum: sicut enim qui casum hic reservatum committit, & in fraudem reservationis dein alio migrat ad confitendum ubi reservatus non est, juxta celebrem Bullam *Superna Clementis X. §. 6.* nequit absolvī; sed remittendus est inabsolutus ad suum superiore, eo quia *fraus & dolus nemini* debent patrocinari, ita idem dicendum de Titio, qui in fraudem reservationis virginem prius solum defloravit, ac postea cum eadem copulam complevit. Ne dicas, inquam, in primis enim casus expositus non dicit, quod Titius modo prædicto se gesserit in fraudem. At etiam supponamus, quod vere in fraudem reservationis ita se gesserit: an ne ob hoc simplex Confessarius habet facultatem restrictam relate ad ipsum? Evidem non; id namque nullibi pro hac Civitate ac Diœcesi reperitur statutum quoad præsentem casum: siquidem hic non legitur in Synodo Diœcesana, in aliquo Archiepiscopali Edicto, neque in libello, aut tabella Casuum reservatorum; non in jure, neque in alia Constitutione Pontificia. Quid ni ergo simplex Confessarius valide ac licite possit Titium absolvere? Nec officit paritas de alio per gente in fraudem ad confitendum; quoad hoc enim Clemens X. citato loco expresse id declaravit, prout sustinent saniores Theologi, qui post talem Constitutionem scripsere. Unde nil mirum, quod alio antecedens in fraudem remitti

Vvv 2

de-